

Sentent. et re judicat. et c. Decreta. 29, de Appellat.

105. *Solvitur objectio.* — Objicies c. 4, de *Consang. et affin.* ubi in causa matrimoniali requiruntur « testes omni exceptione majores, » et c. *Super eo. 22, de Testibus et attestat.* ubi mater non agnoscebatur pro teste habili pro matrimonio alterius contracto cum filia : ergo. Resp. hoc c. 1, nihil probare contra conclusionem, quia loquitur de testibus ad dissolvendum matrimonium jam contractum, ad quod utique requiruntur testes omni exceptione majores. Ad c. *super eo* respondetur. Matrem ibidem ex speciali ratione fuisse rejectam; cum enim (ut ibidem narratur) sponsus filiae suae esset « divitiis, nobilitate, potentia, et honore superior » et propterea mater libenter vidisset matrimonium hujus cum filia, hoc ipso specialiter suspectam se reddidit : unde cit. c. alia mulier contestis pro inhabili rejecta non est; quamvis alias mulier non sit omni exceptione major, can. *Mulier. cau. 33, q. 5, et c. Forus, 10, in fine de Verb. signif.*

106. *Ad valorem matrimonii requiritur praesentia moralis testium et parochi.* — Quæritur VII. Qualis praesentia parochi, et testium requiratur et sufficiat? praesertim an sufficiat etiam coacta, et fraude obtenta? item an sufficiat casualis, successiva, vel requiratur requisita et simultanea? Resp. I. Ad valorem matrimonii requiritur parochi et testium praesentia moralis et humana, sive talis ut probe intelligant, sponso de praesenti contrahere matrimonium. caret controversia. Ratio patet, quia concilium Tridentinum, loc. cit. ideo requirit praesentiam parochi et testium, ut ecclesiae de matrimonio contracto testimonium ferre valeant; quod facere certe non possunt, nisi taliter praesentes sint, ut bene intelligant, quid agatur; ergo. Hinc utique invalidum foret matrimonium contractum praesente parochi aut teste dormiente, ebrio, vel alias ita distracto, ut non attenderit nec perceperit, quid actum sit.

107. *Et quidem simultanea.* — Resp. II. Insuper requiritur ad valorem matrimonii simultanea praesentia tam parochi quam testium; nec sufficit successiva, id est, debent tam parochus quam testes simul adesse praesentes, quando contrahunt sponsi, nec sufficit, si modo coram parochi, modo coram testibus contrahant, Sanchez, lib. III, disp. 41, n. 3, dicens, esse certum. Vera-

crux, in *Append. ad specul. dub. 6, concl. 4;* Bosco, loc. cit. n. 596; Perez, de *Matrim. disp. 40, sect. 9, n. 3, cum communi, arg. cit. Concil. Trident.* ubi per copulativam dictionem. « Et praesente parochi, et testibus » simultanea eorum praesentia aperte significatur. Ratio est, quia debent ita esse praesentes, ut de uno eodemque contractu matrimoniali testari valeant, quod facere nequeunt, nisi simul praesentes existant.

108. *Sufficit tamen, et si dolo adducti, aut vi detenti, aut casu praesentes sint.* — Resp. III. Sufficit tamen ad valorem matrimonii praefata moralis et simultanea parochi et testium praesentia : etiamsi dolose illuc adducti sint, vel violente, et coacti etiam cum protestatione et contradictione ibidem existant, aut ad eos dolose veniant ipsi contrahentes; dummodo tam parochus quam testes formaliter fuerint adhibiti; Sanchez, lib. III, disp. 39, n. 9; Ledesma, de *Matrim. q. 45, a. 5, punc. 13, dub. 2;* Barbosa, de *Offic. et potest. parochi, cap. XXI, n. 50;* Perez, disp. 4, sect. 10, n. 5; Palao, de *Spons. disp. 2, pun. 13, § 8, n. 11;* Pirhing, h. t. n. 23; Diana, part. X, tract. XIII, resolut. 16, Fagnanus, in c. *Quod nobis, h. t. n. 40;* Pontius, lib. V, cap. XXI, n. 5; Bosco, loc. cit. concl. 14, cum communi, et hodie certa aliorum. Ratio conclusionis est, quia concilium Tridentinum saepe citatum, plus non requirit, quam ut matrimonium contrahatur « praesente parochi, et duobus aut tribus testibus, » quod revera fit, si hi etiam dolo inducti, aut coacti et invitati, aut etiam casu sint praesentes, arg. l. *Coram. 20, ff. de Verb. signif.* ubi clare habetur, quod coram aliquo quid fieri dicatur, etsi eo invito fiat : ibi : « Scire autem, non etiam velle is debet, et Glossa in extravag. execrabilis Joann. XXII, de *Præbend. §. Coram.* » Accedit, quod etiam per talem praesentiam satisfit fini Tridentini; cum taliter quoque praesentes testes testimonium de contracto matrimonio ferre, consequenter impedire valeant, ne stante hoc, cum alio contrahatur, arg. cit. l. *Coram. ff. de Verb. signif. et l. Ad fidem. 11, ff. de Testibus, ibi : « Ad fidem rei gestae faciendam etiam non rogatus testis intelligitur. »* Confirmatur pluribus declarationibus cardinalium, de quibus, ex Salzedo testatur Sanchez, loc. cit. n. 9; Fagnanus, in c. *Quenam, de Parochi. et commiss. n. 7, dicens, sacram Congregationem declarasse, validum esse matrimonium, quod*

parochi invito, et per vim adhibito aures etiam obdurante contractum fuit. Duas etiam refert Pontius, lib. V, cap. XXI, n. 5, quarum prima apud Farinacium, pagin. 168, sic sonat : « Dummodo parochus sit praesens, et intelligat id, quod agitur, licet dissentiat et contradicat : adhibitus vero parochus intelligitur, etiamsi ex alia causa vocatus sit, dummodo sit adhibitus ad illum effectum. » Altera ita sonat : « An vero si invitatus et compulsus adsit parochus, etiam contrahatur matrimonium, procedente supra dicta prohibitione ordinarii matrimonium subsistat? Congregatio respondit, subsistere. »

109. *Dummodo fuerint formaliter adhibiti, seu requisiti.* — Dicitur autem notanter in conclusione, « dummodo tam testes, quam parochus formaliter fuerint adhibiti, id est, requisiti; » adhiberi namque ad aliquid in jure quis dicitur, qui ad id requiritur, seu rogatur, arg. l. *Hæredes. § In testamentis. ff. Qui testamenta facere possunt :* quamvis enim doctores conveniant, validum esse matrimonium, etsi parochus et testes dolose adducti, aut vi detenti praesentes sint, dummodo ante contractum matrimoniale requirantur, ut modo adesse, et testes esse vellent matrimonio statim contrahendo. Tamen disconveniunt in hoc, an ad valorem requiratur, ut parochus et testes etiam requirantur, seu rogentur, sique formaliter adhibeantur? Sanchez siquidem, loc. cit. disp. 41, n. 7; Bosco, loc. cit. n. 558; Gobath, tract. IX, casu 18, n. 292; Barbosa, de *Offic. et potest. parochi, n. 50, et plures alii negant.*

110. *Quod aliqui necessario requirunt.* — E contra Pontius, loc. cit. n. 4; Fagnanus, loc. cit. n. 54; Gonzalez, ad Reg. 8, Cancell.; Glossa, 48, n. 32 et seq. Bonacina, et alii firmiter tenent, ad valorem matrimonii omnino requiri, ut testes et parochus formaliter adhibeantur, seu, quod idem est, requirantur et rogentur. Ratio est, quia, ut ait Gonzalez, loc. cit. n. 32, quando praesentia alicujus requiruntur pro forma, et substantia alicujus actus, non sufficit, quod quis casualiter, et ad eum non requisitus adsit : cum, qui casualiter adest, adesse non censetur, arg. l. *Quesitum. 78, § fin. de Legat. 3.* Hinc testis repentini dictum non attenditur; quia non praesumitur informatus, can. quia ambulat. cau. 5, q. 5, semper enim attenditur, quod principaliter agitur,

non quod casualiter et incidentaliter fit, l. *Si quis nec causam. ff. Si certum petatur, et ibi late Jason. a. n. 3, usque ad n. 23.*

111. *Ob declarationem cardinalium.* — Confirmant doctrinam suam ex declarationibus cardinalium ex Farinacio, quas allegat Pontius, loc. cit. quarum una sic sonat : « Parochus praesens matrimonio debet esse, ut appareat, a contrahentibus ea de causa adhibitum fuisse. » Altera sequentis est tenoris : « An sit matrimonium, si duo contrahant per verba de praesenti, proprio parochi praesente, et aliis requisitis non omisis, cui contractui parochus formaliter adhibitus non fuit, sed dum forte convivii, vel confabulationis, vel aliud tractandi causa adesset, audit hujusmodi contractum geri et postea alter contrahentium et hujusmodi contractu ratione defectus resilire, sacra Congregatio respondit, posse, nisi alia intervererint, quæ parochum a contrahentibus adhibitum fuisse arguant, qui diceretur adhibitus, ut supra, quamvis ex alia causa fuisset vocatus, dummodo sit adhibitus ad illum actum. »

Quæ declarationes, si authentice exhiberentur, sententiam horum doctorum, utique certam redderent. Doctores tamen adversarii n. 109, citati de iisdem dubitare volunt; praesertim quia concilium Tridentinum nullam mentionem facit, quod parochus et testes debeant esse rogati, aut requisiti, seu formaliter adhibiti, sed simpliciter, quod sint praesentes.

Verum, quia ex hoc solo capite declarationes rejicere, aut suspectas habere, quod declarationes non afferantur in authentica forma, vix abest ab irreverentia et temeritate, si apud probatum auctorem et fidelem collectorem reperiuntur (qualis utique est Farinacius, et Fagnanus) prout ex Fagnano, in c. *Quoniam, de Constit. n. 59, diximus in proemio n. 128, horum sententia improbanda non videtur.*

112. *Doctrina practica ad hoc.* — Illud tamen notandum, quod etiam juxta doctores, num. 110, citatos, praesertim Pontium, loc. cit., matrimonium coram parochi aut testibus prius vel ex alia causa, vel omnino etiam non rogatis, nec requisitis, sed casualiter tantum, aut ex alia causa praesentibus valeat, dummodo contrahentes tunc saltem, quando contrahere volunt, et antequam contrahant, eos de intentione contrahendi moneant, et ut testes matrimonii sta-

tim contrahendi esse velint, paucis requirant, et rogent; quod in praxi facillime contingere, sicque evenire potest, etiam illos, qui casu, vel alia v. g. convivii aut confabulationis causa adsunt, sufficienter esse praesentes pro valore matrimonii, dummodo nempe ante actuale contractum adhuc requirantur: quod ipsum etiam ultima verba declarationis cardinalium indicare videntur, ibi: « Qui diceretur adhibitus, quamvis ex alia causa esset vocatus, dummodo sit adhibitus ad illum actum. »

113. *Contrahentes, dolo aut vi praesentiam parochi obtinentes peccant graviter.* — Resp. IV. Etiam si matrimonium parochi coacte, aut casualiter praesente, aut dolose adducto vel inducto valeat, tamen ordinarie illicitum est, et quidem mortaliter, Sanchez, lib. III, disp. 39, num. 12; Bosco, loc. cit., concl. 14, cum communi. Ratio est, tum injuria quam inferunt parochi: tum contemptus ecclesiae, contra ejus prohibitionem agunt, praesertim, quod tales ordinarie etiam sine denuntiationibus (quae juxta dicta, n. 5, graviter obligant) contrahant. Putat tamen Sanchez, quod, si soli testes et non parochus dolo ad interessendum inducantur, aut vi detineantur, non nisi veniale sit.

114. *Nisi gravis necessitas, et urgens causa aliud suadeat.* — Dicitur autem ordinarie, quia si gravis causa et necessitas ad contrahendum urgeret, et parochus vel testes assistere absque juxta causa recusarent, posset astu aliquo, et aequivocatione, sine mendacio tamen induci ad interessendum contractui matrimoniali. Bosco, loc. cit. n. 589; Dicastillo, disp. 3., n. 169; Layman, lib. V, tract. X, p. II, cap. IV, n. 6; Coninck, disp. 27, dub. 4, in fine, et alii. Ratio est, quia leges humanae in gravi necessitate non ligant: « Nam quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum, c. 4, Reg. jur. »

115. *Poenae contrahentium, et assistentium matrimonio clandestino.* — Queritur VIII. Quae sint poenae contrahentium et assistentium matrimonio, ob defectum praesentiae proprii parochi et testium clandestino? Resp. I. Quando contrahitur matrimonium sine proprii parochi et luorum testium, tunc praeter nullitatem matrimonii tam parochus et testes, quam etiam ipsi contrahentes gravi poenae, arbitrio ordinarii imponendae, subjacent, ita expresse concilium Tridentinum sess. 24, de Reform. matrim., cap. I, ibi: « Insuper parochum vel alium sacerdotem,

qui cum minori testium numero, et testes, qui sine parochi, vel sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, necnon ipsos contrahentes graviter arbitrio ordinarii puniri praecipit. »

Resp. II. Si quis parochus, vel alius sacerdos, sive regularis, sive saecularis sit; etiam si id sibi ex privilegio, vel immemoriali consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponso sine illorum parochi licentia matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit: ipso jure tandiu suspensus maneat, quandiu ab ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. » Sunt formalia concilii Trident., loc. cit., quibus, cum sint clara, nihil addendum videtur.

Volunt aliqui parochum proprium sine debito numero testium assistentem, triennio esse suspendendum, e. fin., § fin., h. t. Sanchez tamen, disp. 48, num. 4; Pontius, lib. V, cap. xxxvii, num. 12; Perez, disp. 42, sec. 4, num. 3, id negant, et merito; quia c. fin. § fin., h. t. loquitur de parochi assistente matrimonio sine denuntiationibus, et non de nostro casu, ut legenti pateat.

§ III.

DE PRÆSENTIA PAROCHI ET TESTIUM IN LOCIS UBI CONCILIIUM TRIDENTINUM NON EST PROMULGATUM, VEL NON RECEPTUM: UBI ETIAM MATRIMONIO HERETICORUM INTER SE: ET MATRIMONIO CATHOLICORUM LOCIS HERETICIS NON HABENTIUM COPIAM PAROCHI.

116. *Concilium Tridentinum alicubi non est promulgatum, alicubi non receptum.* — Supponitur primo, concilium Tridentinum in aliquibus locis omnino non esse promulgatum alicubi vero esse quidem promulgatum, sed in puncto clandestini matrimonii non esse receptum; promulgatum non esse, plures asserunt in Anglia, Scotia, Suecia, Saxonia, Prussia, etc. Receptum vero in puncto clandestini matrimonii non esse, etsi promulgatum sit, in Gallia, et aliquibus partibus Poloniae, etc. Verum hoc, quia facti est, ulterius non deducimus, sed in casu emergenti quivis judici examinandum et indagandum relinquimus, an in loco, de quo est casus concilium Tridentinum promulgatum sit, necne. Hoc itaque supposito ad quaestiones juris procedendo;

§ III. DE PRÆSENTIA PAROCHI ET TESTIUM, ETC.

117. *Præsentia parochi et testium non requiritur in locis, ubi concilium Tridentinum non est promulgatum?* — Queritur I. An praesentia parochi et testium necessaria sit ad valorem matrimonii, ubi concilium Tridentinum vel non est promulgatum, vel in puncto clandestinitatis non receptum? Resp. I. Validum esse matrimonium sine praesentia parochi et testium contractum in locis, ubi concilium Tridentinum promulgatum non est. Ita unanimis ac certa. Ratio est, quia quamvis alias ad obligationem legis non requiratur, ut ubique promulgetur, sed sufficiat, si Romae in locis consuetis promulgetur per dicta lib. I, tit. II, de Constit., tamen in hac materia aliter discurrendum est, prout patet ex ipso concilio Tridentino, sess. 24, de Reform. matrim., cap. I, expresse disponente, decretum suum in aliquo loco seu parochia non tenere, nisi ibidem fuerit promulgatum, ibi: « Decernit insuper, ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primae publicationis in eadem parochia factae, numerandos. » Ergo a sensu contrario, et quia exceptio firmat regulam in casibus non exceptis, dictum decretum in locis et parochiis, ubi promulgatum non est, non obligat. Accedit declaratio cardinalium, quam ex Zipacco refert Bosco, part. V, disp. 11, sect. 9, concl. 5, ibi: « Ubi decretum concilii Tridentini, sess. 24, c. I, de Reform. matrim., non est publicatum, valere matrimonia contracta absque observatione formae a concilio praescriptae. »

118. *Requiritur, ut etiam in parochia sit promulgatum, et quando praesumatur ibidem promulgatum?* — Infert Fagnanus in c. Quodam praedecessore, de schismaticis, num. 143; Barbosa, ad Concil. Trident., loc. cit., num. 169, ad hoc, ut dictum decretum obliget in aliqua parochia, non sufficere, quod in diocesi sit promulgatum, sed necessario requiri, ut etiam in ipsa parochia promulgatum habeatur; prout clare desumitur ex ipso textu num. praeced., allegato. Et expresse declaravit sacra congregatio teste Fagnano, loc. cit., quae tamen declaratio ulterius addit, praesumi publicationem in aliqua parochia esse factam, ubi decretum illud aliquo jam tempore fuit observatum, quam declarationem etiam affert Bosco, loc. cit., illis verbis: « Sacra congregatio censuit, publicationem praesumi, ubi id decretum

fuerit aliquo tempore in parochia tanquam decretum a concilio observatum. »

119. *Incolae loci non promulgati, vel non recepti concilii Tridentini valide.* — Resp. II. In locis et provinciis, ubi concilium Tridentinum promulgatum quidem, sed receptum non est quoad dispositionem de matrimonio clandestino, incolae illius loci valide contrahunt matrimonium absque praesentia parochi et testium. Communis et certa. Quamvis enim ad intrinsecam legis constitutionem et obligationem non requiratur acceptatio populi, tamen si populus in non acceptatione, et usu contrario per decennium saltem pergit, cessat obligare lex, licet primam legem sine justa causa non acceptantes, et non observantes peccarint, prout amplius diximus, lib. I, tit. II, de Constit., § 6, de Acceptatione legum, et tit. IV, de Consuetud., § 4.

120. *Sed non licite contrahunt matrimonium sine praesentia parochi et testium.* — Dicitur autem notanter valide; quia licite non agunt, sed peccant, clandestinum matrimonium sine praesentia parochi et testium contrahentes; quamvis enim non peccent contra concilium Tridentinum, utpote non receptum, consequenter post decennium, non amplius obligans per dicta n. praeced., peccant tamen contra jus commune juxta dicta num. 52, licet non irritentur matrimonia clandestina per dicta num. 53, arg. c. fin. h. t.

121. *Idem dic de eo, qui e loco recepti Tridentini veniens cum incola illius loci contrahit.* — Queritur II. An, et quando matrimonium clandestinum sine praesentia parochi et testium valide contrahant illi, qui e loco promulgati concilii Tridentini se conferunt ad locum, ubi promulgatum, aut receptum non est? Resp. I. Quando quis e loco promulgati et recepti concilii se confert ad locum, ubi promulgatum aut receptum non est, ubique cum incola illius loci matrimonium contrahit, validum est sine praesentia parochi et testium. caret controversia. Ratio est, quia, cum contractus matrimonialis individuus sit et claudicare non possit, incola vero loci illius sine praesentia parochi et testium valide contrahat, necessario validum quoque erit matrimonium contrahentis cum eodem.

122. *Valide etiam contrahunt sine parochi et testibus, si ambo e loco promulgati ad locum non recepti concilii veniunt; animo ibidem verum, vel quasi domicilium figendi.* — Resp. II. Si ambo sponsi e loco recepti concilii se